DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
FEBRE PUERPERALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

PATRICIUS JOANNES MACFARLANE, A. M.

Scotus,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOCIUS EXTRAORD.

Ἐς δὲ τὰ ἔσχατα νουσήματα αἱ ἔσχαται θεραπηΐαι ἐς ἀκριβηΐην κράτισται.—ἹΠΠΟΚΡΑΤ.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIII.

VIRIS NOBILISSIMIS,

THOMÆ ROBERTO HAY,

COMITI DE KINNOULL,

&c. &c. &c.

ET

GULIELMO MURRAY,

COMITI DE MANSFIELD,

&c. &c. &c.

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

D. D. DQUE

P. J. MACFARLANE.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
FEBRE PUERPERALI.

FEBRIS PUERPERALIS a prima fere origine scientiæ medendi nota et descripta est. HIPPOCRATI non latebat, qui varia hujus morbi exempla retulit, ejus in opusculo De Morbis Popularibus. GALENO et CELSO etiam noscebatur, multique scriptores ex his ætatibus eam tractabant. Non tamen appellationem accepit hic morbus Febris Puerperalis, usque ad ætatis postremi initium,

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE PUERPERALI.

Febris Puerperalis a prima fere origine scientiæ medendi nota et descripta est. Hippocrati non latebat, qui varia hujus morbi exempla retulit, ejus in opusculo De Morbis Popularibus. Galeno et Celso etiam noscebatur, multique scriptores ex his ætatibus eam tractabant. Non tamen appellationem accepit hic morbus Febris Puerperalis, usque ad ætatis postremi initium,

quando Doctore STROTHER, medico Anglicano, primum affixa est. Inter omnes attamen qui variis temporibus se plus minus dederunt ad hunc morbum investigandum, multos per ætates, vix duo consentiebant, in ejus signis, vel causis, vel natura, vel sede.

Febris Puerperalis a secundo plerumque ad tertium diem post partum invadit; interdum tamen citius, interdum multo tardius. Omnem corporis habitum, omnem ætatem, omnem gradum, sine ullo fere discrimine, aggreditur. Sæpe subito adoritur, nullo morbo antecedente; interdum lassitudo, rigores, aliaque hujuscemodi symptomata præcedunt, quorum vis variis in exemplis multum differt. Anxietas magna cum angustiæ in pectore sensu, et respiratio difficilis, adsunt. Vis et celeritas pulsus sub initio multum variant, sed celer est et parvus plerumque, et interdum adeo debilis et indistinctus, ut vix numerari potest. Dolor et ardor in regione epigastrica cum nausea, et bilis secretione aucta, vomitu plerumque reddita, et cum dolore capitis aspero et prostratione virium vix ullo in alio morbo æquata, con-

junguntur. Die febris secundo dolor acutus circa regionem epigastricam vel umbilicalem sentiri incipit, utroque lateri tendens, et plus minusve diffusus, inspiratione et motu et pressu auctus, cum sensu caloris interni molesto. Hic dolor continuo urget, et denuo adeo acerbus fit, ut nonnisi supina potest ægra recumbere. Interdum ipsum pondus stragulorum, vel fomentationes abdomini applicatæ, non tolerari possunt. Interea venter fit tensus tumidusque, et propter hanc et partium inflammatarum compressionem ex diaphragmatis et musculorum abdominis contractione alterna, respiratio curta constricta et dolorifica fit. Lochia vel omnino supprimuntur, ut quidam dicunt, vel saltem parciora et vitiata fiunt. Omnes aliæ secretiones minus copiose secernuntur. Nulla quies salutaris adest, sed ægræ somnus murmuris et trepidationibus sæpe turbatur. Hæc sunt signa quæ sub initio morbi se plerumque ostendunt; sed alia versus finem oriuntur, prout inflammatio abdominalis in resolutionem vel suppurationem vel gangrænam abeat. Sola terminatio non lethalis est resolutio. Cum pulsus mollior tardiorque fit, et nausea et vomi-

tus et abdominis dolores levantur, et secretiones profluunt, et somnus et quies redeunt, hanc finem morbo licet expectare. Quando suppuratio vel gangræna accedit, nulla ferme spes salutis remanet. Symptomata quæ utramque notant nec dubia sunt, nec ullis abdita. Præter has, morbus in formam chronicam interdum transit, et dein febris producitur, dum symptomata paulatim mitescunt. Ægra deluditur, et ejus dolores et inquietudo levantur per intervalla quietis fallacia, sed morbus non minus lethalis fit. Vomitus post tempus breve accedit, et febris lenta et marasmus denuo in morte desinunt. Sub terminatione lethali quædam symptomata apparent, quæ nunquam nisi ut mortis præcursores simul videntur. Aphthæ nempe cum exuviis in ore se ostendunt; diarrhœa oritur, cum dejectionibus fœtidis et præter voluntatem, et perspirationes frigidæ, abdomen miro in modo tumidum, respiratio difficilis carptusque stragulorum has comitantur. Totum per cursum hujus febris, mens sana plerumque servatur. Quod maxime mirabile hoc in morbo est defectus potiusve pravitas amoris maternæ integra quæ fere semper adest. Infantem

ejus ægra omnino aversatur. Quando illi adfertur, omnia signa fastidii summi ostenduntur, et inquieta et iracunda donec infans amoveatur, manet.

Febrem Puerperalem dignoscere ab aliis febribus quæ sæpe post partum oriuntur, sub initio interdum difficile est. Ex periculo summo hoc in morbo, et brevitate temporis quod in remediis administrandis aliquam spem eventus felicis præbeat, hujus febris diagnosis est magni momenti. Symptomata diagnostica præcipua ex sede aliisque doloris conditionibus pendent.

Causæ prædisponentes hujus morbi dicuntur esse conditio systematis plethorica, et totius corporis sed præcipue uteri sensibilitas morbida ex graviditate et partu orta. Inter graviditatem rivum magnum sanguinis uterus accipit, ejusque vasa sanguinea miro in modo amplificantur. Magno ex incremento molis uteri ipsius, ejus ligamenta parietesque abdominis nimis extenduntur, et viscerum abdominis et interdum thoracis functiones turbantur. Ad hoc transitus sangui-

nis per peritonæum impeditur, magnaque hujus membranæ distensio et debilitas sequuntur. Hinc viscerum omnium abdominis, sed præsertim peritonæi, conditio debilitata semper post partum adest, magno cum fluxo sanguinis abdomini eodem tempore. Harum partium plethora effusione partim sanguinis ex utero, placenta amota, amovetur, partimque sanguinis fluxu ad mammas; sed in visceribus abdominis magna proclivitas ad morbos inflammatorios necessarie manet.

Causæ excitantes Febris Puerperalis multum variant. Partus dolens et difficilis, ex magna viscerum compressione, ex irritatione a manu vel instrumentis, vel ex uteri læsione et partium externarum genitalium, morbum interdum producit. Frigus vel toto corpori, vel mammis, utero, aut membris inferioribus admotum; temperiei et humiditatis cœli mutationes; circulatio non libera aëris; sordes; contagio; partus præmaturus vel nimis fatigans; cibi et potus stimulantes, multaque talia sunt etiam causæ excitantes. Varia pathemata mentis morbum interdum inducunt. Hæc nempe quæ animum insigniter vel depri-

munt vel excitant, ut terror, mœstitia, anxietas, et gaudium immodicum.

In sectione cadaverum mutationes morbidæ semper in abdomine inveniuntur. Si ægra mortua est tertio vel quarto vel etiam quinto die, nonnunquam præter ruborem peritonæi levem vix aliud videtur. Hoc tamen fidem inflammationis antecedentis nequaquam adimit, nam in inflammatione superficiali bene noscitur relaxationem universalem a morbo inductam, sæpe adeo magnam esse, ut, si nulla effusio in tela cellulosa adsit, sanguis per vasa relaxata redit; et inflammationis signa fere omnino evanescunt. In cavitate tamen peritonæi liquor serosus, purulens, subalbidus, cum flocculis mistus, et plus minus copiosus, semper invenitur. Cum febris per quindecim vel viginti dies perstiterit, rubor peritonæi satis notabilis est, et liquor jam dictus multo majus abundat. Ad hoc, membrana nova quæ pleraque viscerum tegit formatur, et convolutiones intestinorum varie agglutinantur. Quum morbus in formam chronicam transierit, peritonæum vel penitus vel partim condensatum et opacum

invenitur. Experientia chemica DUPUYTRENII et BAYLII detegerunt, liquorem in cavitate peritonæi inventum nullo modo differre ab eo in peritonitide commune effuso.

Omnes scriptores antiqui putabant, hunc morbum ex inflammatione uteri a lochiis suppressis, vel a partu difficili, constare. Observationes innumeræ hanc opinionem jamdudum rejecerunt, et febris ut accessio non ex partu antecedente difficili pendeat, ut lochiarum retentio, si unquam adsit, morbum antecedat, et vestigia ut nulla uteri inflammati vix unquam inveniantur, clare monstraverunt. Scriptores alii crediderunt febrem a lactis suppressione, et ex ejus metastasi in cavitatem peritonæi, originem ducere. Hæc opinio diu et late prævalebat. Argumenta contra hanc doctrinam præcipua ex lactis suppressione fere semper morbum antecedente, et ex natura a lacte omnino dissimile humoris in abdomine inventi chemice probata, ducebantur. Præterea vix credibile est, ut membrana serosa officio glandulæ mammariæ fungeretur. LEAKE et HULME putabant læsionem internam sedem in

intestinis, et præcipue in epiploone et mesenterio habere. Liquorem in cavitate peritonæi inventam credebant ex omento soluto constare, et symptomata typhoidea versus finem ex absorptione hujus humoris oriri. GORDON dicebat inflammationem erysipelatosam viscerum abdominis hoc in morbo adesse, et morbum puerperas præcipue afficere, quia ex placentæ disjunctione aliisque causis multa ora contagionem accipere apud illas aperiuntur.

Duæ sunt res, de quibus magna contentio longum per tempus late prævalebat, quas non adhuc tractavi. Ex his prima est Natura Morbi; an ullum speciale habeat, et an contagiosus sit: secunda, Methodus Medendi. De his nunc pauca dicam.

Multos per ætates Febris Puerperalis esse generis distinctæ putabatur. Differre aliquo modo ab omnibus aliis febribus, invadere sexum muliebrem solummodo, et non mulieres omnes sed puerperas solas, credebatur. Nihil tamen potest jam dici opinionem sustinere febrem esse ullam

puerperis propriam. Facile est credere, ut graviditas et partus, corpus debilitando, accessioni conditionis febrilis fortiter prædisponat; sed nullam causam vidimus cur febris quæ tunc interdum oritur omnibus ab aliis febribus differret. Febris specialis omnibus temporibus, omnibus locis, et apud omnes mulieres, debet ex iisdem causis oriri, ex iisdem symptomatibus constare, et iisdem remediis opponi. Sed vix fuit unquam ullus morbus, ubi scriptores omnium temporum omnibus in rebus magis inter se distulerunt. RIVERIUS, seculi decimi septimi auctor, Febrem Puerperalem non morbum specialem esse, nec puerperis inhibitum, affirmabat. Quum magnam causarum varietatem animadvertisset quæ febrem videntur excitare, et symptomata dissimilia quæ apud varias fœminas variisque temporibus hoc in morbo oriebantur, colligebat, nullam esse febrem specialem cui nomen Puerperali dari posset, sed ad ullam febrem peritonæo inflammato conjunctam, quæ post partum mulierem caperet, impositum esse. Similis doctrina inter scriptores hodiernos prævalet. Mulierem in conditione puerperali, ex causis jam dictis, febre inflammatoria

facillime affici existimant; et febris igitur, quæ partum sequitur, sub initio saltem, est fere semper, inflammatoria. Dein, ex debilitate locali a graviditate et partu antecedentibus, putant febrem ortam posse facile peritonæi inflammationem accendere. Armstrong hoc bene notavit. Fortasse nunquam, inquit, ullus fuit homo, cui corpus adeo erat sanum, ut pars nulla sit aliquo modo reliquo corpore debilior. Quamdiu sanitas servetur, organa omnia actiones corporis solitas facile tolerare possunt; sed cum impetus sanguinis morbide augeatur, tunc pars debilior actioni auctæ minus valide obstat, et, reliquo corpore sano, læsio aliqua hujus organi necessario accidit. Aliis in exemplis pars debilior variat, sed in febre puerperali causa manifesta multos per menses antea agens fecit, ut quædam viscerum abdominis admodum debilitentur; et hinc, quando impetus sanguinis multum augeatur, læsiones præcipuæ iis accidunt. Breviter denique, ulla febris peritonitidem accendens, quæ mulierem post partum invadat, nomen accipit Febris Puerperalis. Ex causis tamen jam dictis, rarissime evenit febrem non esse sub initio saltem inflammatoriam.

Nonnulli olim febrem puerperalem sporadicam esse volebant; vel ut ejus exempla fuerint pauca et sparsa, et sine ulla connexione inter se, et ut nullàm possent affectionem similem aliis inferre. Alii eam epidemicam observaverunt; vel ut puerperæ fere omnes regionis cujusdam, commercio sine ullo inter se, eodem tempore morbo affectæ sint. Sine dubio etiam nonnunquam contagiosa clare apparuit, vel febris late prævaluit, sed ad puerperas quibusdam obstetricis solis visas omnino restricta; vel saltem nullum novum morbi exemplum ortum est, ubi inter novissimam ægram, et aliam eodem morbo affectam, commercium nullum fuerat. Hoc interdum tam clare apparuit, ut medici quondam tempus se subduxerunt, putantes puerperis omnibus quem curaverunt se morbum impertire. Omnia hæc inter se pugnantia facile componuntur, quando febris puerperalis nequaquam morbus esse distinctus et non varians noscitur, sed ulla febris, contagiosa vel aliter, quæ mulierem post partum accidat afficere.

Prognosis hoc in morbo olim mire infausta

erat. Fere omnes interdum quos morbus invadebat, ei succumbebant. Notitiis certioribus et methodo medendi meliori, magna mutatio facta est, et apud hodiernos multi dicunt *, ut, morbo ineunte, aliorum curatione morborum paris violentiæ, non ejus curatio difficilior sit. Ex hoc tamen omnia pendent; nam quum sub initio morbi fas sit prognosin plerumque faustam dare, post breve tempus omnino fit dubia, paulumque serius penitus inauspicata. Exitus signa infelicis Ern. Chr. Noltio, in Opusc. Medicorum, delectu Franckii †, bene collecta sunt.

"Ad dijudicandum morbi eventum, ad abdomen præcipue respiciendum est. Quo acerbior illius dolor, et quo vehementior illius tensio, imprimis si valde uritur, eo majus imminet periculum, præsertim si copiosæ alvi dejectiones, cum

---

* Armstrong "On Puerperal Fever."
Hey "On Puerperal Fever."
Campbell, "Treatise on the Puerperal Fever."

† Franck, Delectus Opusculorum Medicorum, tom. v. p. 60.

pulsu frequenti, parvo ac debili, ac subita ingentique virium prostratione, spirandique difficultate, simul conjunctæ sint. Mentis alienatio; ingens inquietudo; soporositas aut vigiliæ; frigus externorum; sudor frigidus et viscidus, imprimis circa extremitates; lividus labiorum oris color; pinnæ narium diductæ; vomitus virides, nigri, imprimis absque levamine; lingua arida, aspera, fusca, nigro colore tincta; anxietas summa; deliria phrenetica, malum et plerumque lethalem prædicunt eventum.

"Eruptio miliarium, petechiarum aphtharumque, morbi vehementiam denotant.

"Quo citius ægram corripit, eo difficilior curatu.

"Lac, si subito e mammis disparuerit, mali ominis est. Sæpe enim illam lactis evanescentiam subsequuntur deliria, et mors repentina."

Ad hoc quoque cavendum est, ne remissione doloris, quæ aliquando accidit post secundam vel

tertiam diem morbi, decipiamur. Plerumque fallax est, et febris dolorque viribus auctis cite redeunt.

Fausti eventus signa mihi liceat etiam in verbis ejusdem auctoris dare.

"Quamvis diarrhœa sæpe malum præsagiat, interdum tamen boni aliquid exinde sperare licet, et quidem, si una dolor et tensio vehemens abdominis minuitur, anxietas levior, respiratio liberior, vires elatiores, imprimis autem pulsus, rarior, tardior et moderatior, vultusque serenior, redditur. Boni quid sperare licet, si lochia rite fluunt, aut si suppressa redeunt, si lac vel non evanescit vel rursus apparet, si lingua humida, mollis, rubra, ægra mentis est compos, urinæ naturali lege excernuntur, et sedimentum flavescens ad fundum vasis mittunt."

Transimus nunc ad methodum hoc morbum medendi, et non difficile est credere, ut, ubi medici omnibus in aliis rebus adeo dissentiebant, magna discordia esset in hac. Nonnulli omnem

spem posuerunt remediis in antiphlogisticis vel debilitantibus, in tonicis alii, et alii in antispasmodicis. Nonnulli missionem sanguinis e brachio præcipue laudabant; nonnulli sanguinis missionem per hirudines abdomini admotas; alii purgativa, alii emetica. Et argumentum satis bonum contrà naturam febris specialem oritur, quando omnia hæc remedia, uno vel altero tempore plus minusve prospere evenerint.

Mihi liceat nunc aliqua dicere de methodo usitatissimo curationis in Febre Puerperali apud hodiernos.

Hoc in morbo, ut in multis aliis, remedium efficacissimum et utilissimum quod medicis præbeatur, sine dubio sanguinis missio est. Modus optimus sanguinem abstrahendi nequaquam tam bene olim intelligebatur ut apud hodiernos. LEAKE* sanguinis missionem ad febrem puerperalem medendam strenue laudabat, sed existimabat, ut sanguis missus duas detractiones ad

---

* LEAKE "On Puerperal Fever."

quindecim vel sexdecim uncias singulas nullo modo excederet. GORDON * omnem salutis fidem eodem in remedio posuit, sed sanguinis missione, felice eventu, multo magis audaciter utebatur. ARMSTRONG tamen et HEY missionem sanguinis ultimum ad gradum protulisse videntur. ARMSTRONG inquit, solam salutis spem in remediis poni quæ inter primas morbi horas utuntur. Remedia tarda et inania itaque sub initio morbi, sæpe inter salutem mortemque ægræ omne discrimen faciunt. Ille †, recte puto, existimat initium omnium febrium stadium esse inflammationis. Spatium temporis quod hoc durat variis in exemplis multum variat, sed in febre quæ partum sequitur est plerumque admodum breve. Sub initio et totum per cursum morbi summa debilitas adest, sed stadio ineunte debilitas est ficta, et hinc remediorum potentissimorum usum non prohibet; sed versus finem vera fit, maximamque dein curam postulat. Lex bona est, quam hoc et

* GORDON "On the Epidemical Puerperal Fever of Aberdeen."

† ARMSTRONG "On Typhus Fever."

in omne simili morbo debemus sequi, alacritate maxima omnibusque viribus morbum primo in stadio aggredere; tunc vim remediorum gradatim diminuere, et medicamenta mitia et lenia ad ultimum reservare. Debilitatis itaque species non sub initio a remediis efficacissimis nos prohibere debet, nam plerumque pro debilitate aperta est inflammationis internæ vis et periculum. Ad morbum efficaciter coercendum, sanguinem sub initio libere et audaciter mittere debemus, et plerumque post opportunum ejus usum invenietur, ut æger non perdere sed vires acquirere videatur. Quantitas sanguinis quæ abstrahi debet, nullis limitibus fixis potest circumscribi. Ex violentia et stadio morbi, ex habitu corporis, partu antecedente, arteriarum pulsu, multisque aliis rebus quæ apud unamquemque mulierem differunt, hoc manifeste pendet. Notare bonum est tamen, ut sanguis ex foramine magno et libero abstraheretur, et ut animus medici, in hoc omnibusque periculi magni exemplis, dari debet, non ad sanguinem perditam, sed ad effectus missione sanguinis productos. Semper sanguis emitti debet, donec totius corporis excitatio et inflammatio abdo-

minalis subigantur; et hoc quantitatem quæ multum variat varias apud fœminas postulare invenietur. Interdum una sanguinis missio opportuna et libera satis sit, sed inflammationis signorum minimum incrementum debemus sedulo custodire, ut sanguinis abstractio bis vel ter iteretur. Quando sanguis sub initio missa est, viginti vel triginta unciæ satis sint, sed octoginta unciæ interdum abstractæ sunt, antequam vis inflammationis potuit omnino subigi.

Hæ sunt de hac re opiniones Doctoris Armstrong, et cum illo Denman, Leake, Gordon, Hey, De la Roche, Legouais, et fere omnes hodierni, plerumque consentiunt.

Nonnulli tamen crediderunt sanguinis missionem esse hoc in morbo nocivam, et inter hos J. P. Franck, Viennæ, medicus eximius. In Opusculorum Medicorum Delectu *, Franck affirmat, mulierem post partum, eodem modo quo vulneratam, considerari et tractari debere. Prostratio virium ex partu antecedente, sanguis jampri-

* Opusculorum Medicorum Delectus, tom. viii.

dem perditus, viscerum chylopoeticorum conditio, multaque alia, videntur illi sanguinis missioni Febre in Puerperali obstare.

Professor celeberrimus quoque Artis Obstetricæ in Edinburgenæ Universitate, oppugnator est strenuus sanguinis missionis in eodem morbo. In Peritonite Puerperali magnam ejus utilitatem non negat; sed hunc morbum Febremque Puerperalem distingui debere, strenue urget. Lochia nunquam abesse in Febre Puerperali, et, quando non adsint, morbum non ex hac febre, sed ex peritonæi inflammatione constare, affirmat. Lochiis fluentibus, consequentias nocivas sanguinis missionem sequi, et ægram citius quam per morbum ipsum perdi, semper invenit. De hac re non est mihi dijudicare. Professoris nostri auctoritas rectissime summa est, sed omnes fere hujus ætatis auctores ei dissentiunt, duosque inter morbos nullum discrimen agnoscunt. Cum illo scriptores multi ætatis postremi, ut WALSHE, HULME, DOULCET, WHITE, et J. et JOS. CLARKE, omnes venæsectionem prohibent. Felices tamen eventos qui abstractionem sanguinis liberam ac

tempestivam plerumque comitantur, ut responsum satis bonum ad omnes hos auctores cogimur respicere.

Cum sanguinis missione e brachio, hirudines abdomini admotæ, præcipue cum dolor vehemens sit, sunt sæpe utilissimæ. Eorum potestas dolorem et vim celeritatemque pulsus diminuendi, quantitate sanguinis amissa sæpe non potest explicari.

Scriptores quidam Gallici vaginæ venisque hæmorrhoidalibus hirudinum applicationem ad fluxum lochiorum revocandum hortantur. Alii loco sanguinis missionis e brachio, ipso ab morbi initio, iis utuntur. Hunc modum sanguinem abstrahendi adhibent, quia proximitatem loci ubi hirudines applicantur morbum promptius inhibere existimant. Quinquaginta vel octoginta abdomini imponuntur, fomentisque calidis fluxus sanguinis sustentatur. Utiliores sunt tamen ut auxilia ad sanguinis missionem e brachio, et quando a tempore amisso vel aliis causis hac dubitamus uti.

Modum sanguinem mittendi hoc in morbo nunc tractavi. Non remedium universale est, quo ad omnia tempora et in omnibus exemplis uti licet; sed antequam effectus bonos qui usum ejus idoneum plerumque sequuntur possumus certe obtinere, multarum rerum necesse est rationem habere. Quantum ejus vis morbum depellendi ex tempore quo sanguis abstrahitur, et ex quantitate tunc ablata pendeat, paulo ante observavi. Ad hoc res sunt aliæ quas interdum notare necesse est, antequam eum emittere progrediamur. Omnium remediorum eventus felices non magis natura ex eorum propria, quam corporis conditione quando adhibeantur, pendent. Remedio itaque eodem, consequentiæ maxime diversæ, secundum mutationes in corporis conditione, ejus usum sequentur. Hoc, jam notatum est, apud eandem fœminam diversis in stadiis morbi, mirabile monstratur. Apud diversas fœminas, in eodem morbi stadio, vix minus mirabile ostenditur. Nonnunquam ægræ debilitas ipso sub initio adeo magna est, ut periculum majus sit missione sanguinis utcunque parva, ejus vires omnino opprimi, quam inflammationis febrisque ipsius cur-

su non inhibito. Interdum apud pauperas hoc oriri videtur ex aëre impuro, diæta innutriente, inopia, sordibus, labore gravi, aliisque causis debilitantibus. Omnibus in gradibus ex plurima sanguinis jactura antecedente, a hæmorrhagia uterina, interdum invenitur. Et mirum est, ut in hac aliisque inflammationibus, eadem sanguinis quantitas, quæ post signa inflammatoria detracta, eorum progressum inhibuisset, perdita ante eorum occursum, nullam fere vim morbi accessum impedire haberet. Valetudinarium ægris stipatum, hujus debilitatis exitiosæ causa esse præpotens sæpe invenitur. Habitus corporis valde debilis, et varii acuti et chronici morbi ante febris occursum invadentes, similem debilitatem nonnunquam inveniuntur inducere. In exemplis talibus sanguinis abstractione, quanquam sit sola via progressum morbi morari, sæpe non audemus uti, et remediis mitioribus, viribusque naturæ necesse est ægram relinqui. In iis spes major, quamlibet parva sit, quam in sanguinis missione est. Sæpe evenire tamen potest, ut, quum sanguinis abstractio ad quantitatem supradictam nullo modo liceat, eam parcius emittere pro debilitate ægræ multum

valeat. Sed, quum timor immodicus sæpe nocivus est, magna tamen circumspectio hic postulatur; nam sæpe magis proni simus parvas vires quæ ægræ remaneant perdere, quam cursum morbi inhibere.

Quamvis tamen spes præcipua abstractione in sanguinis ponenda est, nunquam ad ullum unum remedium vel genus remediorum quodcunque nos cohibere debemus.

Sunt multa hoc in morbo et utilissima auxilia, inter quæ purgantia fortiora sunt fortasse, sub initio saltem, optima. Versus finem graviditatis et post partum accumulatio fæcum magna in colo et recto supervenit, quæ et originem non raro dat multis malis, morbosque quando orti sint multum exasperat.

Hanc fontem irritationis in ipsa morbi sede omnino amovere, et ex tunica intestinorum mucosa, cui inflammatio in peritonite nunquam extendit, fluxum lenem sustinere, apud hodiernos sub morbi initio esse maximi momenti existiman-

tur. Purgantia tamen quibus medici utuntur, dosesque ad quas adhibentur, multum variant. CHAUSSIER, secundum LEGOUAIS, nulla nisi mitissima comprobat. Olea ricini et amygdalæ, cum syrupis laxantiis dat, donec solvatur alvus. Hæc plerumque efficacia invenit diarrhœam mitem sustinere. Si non, medicamenta fortiora tunc adhibeantur. GORDON et HEY Pulverem Jalapæ ad semidrachmam, cum Submuriatem Hydrargyri ad tria vel quatuor grana conjunctum, et postea sellas medias in dosis iteratis ad alvi solutionem sustinendam, commendant. Sed ARMSTRONG hoc et in similibus morbis, multo liberius audaciusque omnibus fere medicis vel inter hodiernos vel anticos, purgantiis utitur. Enema copiosum potensque plerumque antecedere facit, deinde Submuriatem Hydrargyri ad scrupulum vel semidrachmam Sulphate Magnesiæ post aliquod tempus vel Oleo Ricini secutum, magna cum copia potuum diluentium et demulcentium dat. Dejectiones plenæ quinque vel sex in dies comparandæ sunt, et purgantia ante tertiam vel quartam diem non remitti debent. Optimi effectus sequi dicuntur;

dolor nempe et tensio abdomen relinquere, pulsus tardior, cutis humida, lingua nitida, respiratio facilis, dejectionesque naturales, fieri. Multis hic modus nimium audax apparet, sed recordari debemus vim remediorum apud ægros et sanos multum differre, et animum non ad medicamentorum quantitatis fixæ dandum, sed ad finis propositi consequendum, dirigi debere. Quum morbus paucos per dies perstiterit, laxativa mitia, quæ alvum apertam teneant, sine debilitatis incremento quæ tunc revera adest, solummodo utenda sunt.

Emetica interdum hoc in morbo utuntur, et nonnulli omnem salutis spem his in remediis olim ponebant. Doulcet primo bonos eorum effectus sub initio Febris Puerperalis casu observavit, et postea iis felice cum eventu late utebatur. Quindecim grana ipecacuanhæ per diem in dosis divisis ter vel quater solebat dare, et circa diem septimum vel octavum catharticum lene sæpe iteratum; et ducentas mulieres, inter epidemicum vehemens in quatuor mensibus hoc modo conservatas esse, affirmat. Verisimile est tamen,

ut effectus bonos, quos ad emetica Doulcet refert, ad purgantia et ad effectos catharticos emeticorum revera debebantur. Post missionem sanguinis copiosam et purgantia activa, emetica raro necessaria sunt; sed cum vomitus adest liquoris biliosi larga et frequens, emetica mitiora sunt semper utilia.

Contra magnam ventriculi irritationem, quando adsit, optima fortasse et certissima remedia sunt missio sanguinis, opium vel in pilulæ forma, vel emplastri ad regionem epigastricam, haustus salini effervescentes, purgantia et balneum tepidum. Emetica in parvis dosibus et diaphoretica interdum bona sunt, sanguinem versus cutem vertere. Vesicatoria etiam in primo stadio morbi sæpe applicantur, sed versus finem semper nociva sunt. Quando dolor abdominis vehemens fit, fomentationes calidæ per pannas laneas, aqua calida, vel papaveri somniferi decocto, vel interdum oleo terebinthinæ madefactas, emplastrum meloës vesicatorium, vi inflammationis aliquanto subacta, aut rubefacientia adhibenda sunt. Hoc consilio quoque cataplasmata emollientia, clysteres emollien-

tes, et injectio in uterum aquæ calidæ, sunt sæpe utiles. Quando cutis calida et arida est, et pulsus durus et validus, affusiones aquæ frigidæ caute adhibeantur; sed nisi vim et celeritatem pulsus diminuunt, irritationem nervosam leniunt, et somnum et diaphoresin copiosam totum per corpus inducunt, eorum usus est statim prætermittendus. Balneum calidum etiam interdum laudatum est, et sine dubio quibusdam in exemplis irritationem lenit et ad somnum disponit; sed, ex debilitate quæ sequitur, raro utile est. Versus finem morbi, diarrhœa sæpe oritur. Quando lenis, non magni momenti est, sed si immodica fiat, astringentiis et opio cohiberi potest. Post sanguinis missionem et purgantia, et vim inflammationis aliquanto subactam, narcotica et præcipue opium, ad irritabilitatem diminuendam, dolorem mitigandum, et somnum inducendum, interdum recte dantur. Quando febris valde acerba fit, cinchona acidis mineralibus conjuncta interdum commendata est, sed raro efficax fuisse videtur. Aliis remediis, ut cursus morbi postulare appareat, necesse sit uti, sed hæc sunt præcipua quæ contra Febrem Puerperalem hodiernis adhibentur.

Diæta sub initio morbi rigide antiphlogistica esse debet, sed versus finem cibi magis nutrientis et cerevisiæ usus modicus præbeatur.

Morbo progrediente, methodum medendi quæ sub initio solam salutis spem præbuisset minus minusque sequi possumus, et demum ejus usum ad exitium certum ducit. Nunquam obliviscendum est, ut dum, pro morbi acerbitate, ita plerumque sit evacuationum plenarum necessitas, quum morbus extra fines quasdam progressa sit, tam caute augendum est ut antea audaciter. Post paucas primas horas sæpe difficillime fit statuere, quum missione sanguinis tute apteque medicus utatur. Quum abdomen tumere incipiat, et intestina aëre impleri, quum proclivitas ad nauseam ac vomitum notabilis, quum velocitas pulsus immodica, calor urens cutis, oris formæ mutatio, multis cum aliis signis adsunt, quæ adventum secundi stadii notant, non audemus amplius huic curationi recurrere. Missio sanguinis plena, stadio in ultimo, morti sine dubio ægram daret. Tunc hirudinibus solummodo, aliisque remediis mitioribus supradictis, caute licet uti.

Antequam hunc tentamen ad finem perducam, liceat mihi pauca dicere de remediis prophylacticis in Febre Puerperali. Si primi morborum accessus distingui vel prævideri possent, quantopere vita hominis plerumque produceretur. Ars medendi maximam potestatem tenet sub ipso initio morborum, et pro eorum vi progrediente semper diminuit. Hinc sæpe accidit, ut vita quæ facile servata esset, si ægro medicus citius adfuisset, vehementiæ morbi succumbit, qui nullis viribus humanis impediri potest.

Hæc observatio Febri Puerperali optime applicat, nam quum pauci morbi magis lethales sint quando oriuntur, nullius potest ortus curis tempestivis magis facile prohiberi. Arcta attentio ad viscerum chylopoëticorum conditionem ante et post partum, ad diætam, ad circuitum aëris liberum, ad omnia quæ munditiem et commoditatem ægræ possunt promovere, et abstractio omnium quæ eam possunt anxiam vel irritatam vel depressam reddere, sunt præcipua ad hanc finem obtinendam necessaria. Si medici puerperas post partum crebro visitarent, et conditionem pulsus,

linguæ, ventriculi, intestinorum et cutis arcte observarent, accessus occultissimos Febris Puerperalis plerumque percipere, eamque ipso sub initio facile subigere possent.

FINIS.